

metalli solitariū. Cū verò Tentam. VIII. Concl. V. Consect. III. concluderimus aeris columnam seu prisma, cujus basis esset 1. pedis quadrati & altitudo eadem cum tota aeris sphaera, adæquare suo pondere decies & octies centum libras; ipsâ luce meridianâ clarius est, hoc tantum pondus molem metallicam plusquam 1000. pondo non sustentare tantum debere sed & validè sursum urgere, dummodo, qui ipsi desuper incumbit ejusdem aeris cylindrus, artificio simili ei, quo supra in Phænom. XI. sumus usi, remotus & exclusus fuerit.

Causa XII.
Phænom.

CONCLUSIO X. Tandem quod ultima nostra Phænomena spectat, ei qui hætenus dicta intellexit, eorum quoque causa in aprico erit posita. Aer enim, qui recipiens exhaustum circumstat vehementissimè compressus per apertum orificium non potest non cum vehementiâ irruere, aut, si hoc aquis immersum fuerit, ipsas saltem eadem violentia introrsum compellere; siquidem in priore casu nihilominò resistantiæ offendit, in posteriore non nisi propriam aquæ supremæ gravitatem sibi obluentem habet, quam tamen, vidictorum, nullo negotio superat, imò pro nihilo ferè habet.

TENTAMEN XIV.

*Hygro-scopiorum ac Chronometrorum recens-
inventorum rationes & usum declarans.*

I. DE HYGROSCOPIIS.

Quoniam aeris gravitati, subinde majori minorive, mensurandæ destinata Instrumenta (*Baroscopia* inde dicta) Tentamine III. & alia, variantibus in eodem perpetuò caloris frigorisve vicibus observandis dicata, organa (*Thermoscopia* à potiori appellata) Tentam. IX. eramus contemplati; animus erat ea quoque nostri seculi inventa partim usurpanda oculis, partim sollicitâ mente conspicienda, exponere, quibus diversos humiditatis & siccitatis gradus in eadem
aeris